# IANVARIVS

Authore M[ro] Batters.

## Egloga Prima

### Alexis

Forte puer (nec enim titulo potiore misellus
Dignandus) iam nunc brumâ laxante rigorem
(Innubis tum fortè dies) longum explicat agmen
Balantum pecudum, dudũ inter claustra tenacis
Abstrusum caulæ, pastumq; educit in agros
Strigosas pecudes, macie brumâq; rigentes,
Ut vix succiduo sustentent poplite gressus.
Ipseq; status pecoris, pastoris concolor ori
Lurida quod maciès pallenti tabe colorat;
Forsan erat curis, vel amoris saucius æstu,
Scit tamen et calamos inflare, et dicere versus,
Tum pecora ad montem languentia, languidus egit,
Effunditq; istas dũ pascunt illa loquelas.
O Superi, curas o qui miseramini amantũ!
(Si tamen e Superis quisquam miseretur amantes)
Me me respicite, e Cælis ubi ducitis ævum,
Et gemitu fractos faciles attendite questus.
Tu quoq; Pastorum Deus, olim fixus Amoris
Cuspide, Pan, prius expertos miserare dolores
O nuda, o furijs brumalibus obvia tellus!
Viva meæ vitæ occasum spectantis imago!
Te modò gemmato florum devestit amictu
Ver, tuaq; asphodelis stellata superbijt æstas.
Iamq; procellosæ sævit violentia Brumæ.
Quâq; triumphabas modo, iam tua Purpura sordet
Pectore sub nostro rabies furit æmula Brumæ,
Nam stupet in venis concretus frigore sanguis:
Sævijt in nostram tempestas tanta carinam,
Tanquam iam tremulos spectaret vita Decembres.
Vix tamen (ah miserum) florescere cœperat annus,
Et tamen (ah miserum) properus defloruit annus!
Vos o iam nudæ, foliorum crine refuso
Ulmi ubi aues verno solitæ suspendere nidos
Nunc musco indutæ, canæ et squallore pruinæ!
En ubi vestra nouo turgebant gemmina fœtu.
Brachia conspicio, lachrymis rorantia multis
Pendulaq; astrictis glaciatur stiria guttis.
Sic quoq; sic nostræ folia inconcussa iuuentæ
Nunc flaccent nimijs curarum exercita ventis
Marcuit in nobis, fœlix flos pubertis ævi
Ustulat, et canum tam præcoqua gemmina frigus.
Et mihi sic rigui lachrymis, rorantur ocelli,
Pendet ut a vestris glacialis stiria ramis.
Languidæ grex lacero implicitã qui vellere lanam
Gestas, cui victu ieiunia crebra maligno
Hauserunt.

x Upilio.
3 x Æthere subsudo (sudus forte obrigit Æther).
5 Eduxit fessas diuturno carcere caulæ.
7 x defecto.
10 Æger curâ forsã, et æger forsan amore
x miseratis.
16. Despicite e cœlis lætũ qua ducitis ævum
Luctisonisq; precor, submittite cantib9 aures
20. Effœta o tellus brumalis præda furoris.
x discrimine pinxit
24. Ast iam nimbosæ
32. O vos umbroso nudatæ tegmine quercus
Quâ volucres vernos gaudebant texere nidos
x canæq; horrore
crebris.
40 En emarcescit
x mihi.
42. Sic vitreis rigui Lachrymis

A Cambridge dramatic and poetical miscellany, ca. 1615–ca. 1630.
J.a.2, f. 51r.

Copyright © The Folger Shakespeare Library ®. All Rights Reserved. Classroom use is encouraged, as is use for personal research. Single copies may be made for personal or noncommercial uses, provided they include copyright notice.

For information regarding permission to use images and/or text from the Folger collection for educational or commercial purposes, please contact us at photo@folger.edu.

Authore Mro Batters.

# IANVARIVS

Hauserunt vires, macie testare probasque
Obruta sollicitis Pastoris pectora curis.
Debilis ille, et tu: macer es, macrescit et ille:
Languendo luges; lugendo languet, et ille.
Damno millenis tempus, lachrymabile diris,
Urbs vicina oculis quô primum erat obvia nostris:
Et tamen illam horam votis bis mille beavi
Qua vidi nostram (spectacula tanta!) puellam,
Sed frustra: Nostræ primus gradus ille ruinæ
Proh Superi! mellis fæcundi et fellis amores!
Non importunum queritur mea fistula Mopsum
Ambiat ille meum licet indefessus amorem;
Agrestis sperno tam rustica munera Mopsi,
Hædos, involucres, nidos, & præcoqua poma;
Nequiquam *mittis munuscula rustica Mopse; * toties iteras munuscula Mopse
Quæ tuus ille suæ mox Phyllidi mittit Alexis:
Phillis amata mihi est, (heu cur mihi Phyllis amata?)
Despectusque ab ea (cur despectus ab illa?)
Respuit *illa meos, & dedignatur amores; *Ista
Fastiditque audire rudem sufflata cicutam:
Iam Pastorales velut anguem exhorret avenas
Subsannatque elata, suus quæ cantat Alexis.
Ergo, places licet agresti mea fistula Pani
Cum tamen haud placeas, ubi vellem sola placeres,
Et tu Musa, meos sopire absurda dolores
Cum crudescentem nescis lenire furorem 72. Nunc oblita tamen cum res efflagitat artis.
Solertis meritas, et Musa et Fistula pœnas,
Tum calamos frangit, fususque recumbit in herba.
Iam Sol emeritos diurno pondere currus *tramite
Occiduo fessus properabat mergere Ponto 75. Urgebat præceps glaciatoque horrida rore
Noxque pruinosis terram complectier alis Nox involvebat furvo velamine terras
Cœperat: Involvens furvo velamine Cœlos Ut vidit, arrodens caeus præcordia curis
Hoc viso abducit, modico iam sole refectas Surgit, apricatas pecudes in ovilia cogens
Pastor oves, vultu referentes fata magistri. Opilio, —

Finis Egloga 1æ.

A Cambridge dramatic and poetical miscellany, ca. 1615–ca. 1630.
J.a.2, f. 51v

Copyright © The Folger Shakespeare Library ®. All Rights Reserved. Classroom use is encouraged, as is use for personal research.
Single copies may be made for personal or noncommercial uses, provided they include copyright notice.

For information regarding permission to use images and/or text from the Folger collection for educational or commercial purposes, please contact us at photo@folger.edu.